UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cito confectum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

A *ſopo, & mundabor*, habetur. Eucherius eam pro humilitatis patientiæq; hieroglyphico ponit, propterea quod humilis admodum herba eſt, & lapidi, cui naſcendo adhæreſcit, adſtricta; cujus radices ſaxum etiam dicuntur penetrare. Ipſa vero præcipuè pulmones curat. In pulmone ſedem habere dicitur ſuperbia, in quo ſcilicet tumor, & anhelitus. Cicero de natura Deorum: *In pulmonibus in eſt raritas ad hauriendum ſpiritum aptiſſima.* Quod vero Spiritus pro ſuperbia vel animi elatione ponatur, idem oratione pro P. Sylla: *Res geſtæ credo meæ me nimis extulerunt, & mihi neſcio quos ſpiritus attulerunt.* Ibi autem apertius: *Nunc Capuæ Campano præſidio ac regio ſpiritu cum viderem, Bloſios illos mihi videbar videre, ac Jubellios.* *Mattheol. in Dioſcor. lib. 3. c. 26.*

DE ASPARAGO.

EX ASPERITATE SUAVITAS. Cap. XXXIII.

B Molle aliquid & lene, quod ex aſpera, duraq; re proveniret, ſignificare qui vellent, hieroglyphicum Aſparagi faciebant, ſurculum quippe jam maturum & ſeminibus inſtructum. Nam ſpina eſt, quæ ſemen illud fert, quo ſato molles inde aſparagi ſuccidantur. In Bœotia ſane qui novam nuptam comebant ornabantque, eam ſpinoſo aſparagi frutice coronabant, quoniam (ut apud Plutarchum eſt) de Conjugali vita, ſicut ſuaviſſimum ille fructum de aſperrima ſpina producit. Sic uxor viro primam illius aſperitatem ac duritiam minus aſpernanti, dulcem poſtmodum & ſuavem convictum præbet. Qui vero, ut idem Plutarchus ait, primas virginum rixas ferre nequeunt, ſimiles profecto ſunt iis, qui prima uvarum acerbitate offenſi, eas etiam cum maturuerint, abhorrent. *Dioſcor. li. 2. cap. 12.* *Bœotiorũ mos in novæ nuptiis.*

CITO CONFECTUM. Cap. XXXIV.

Atque hæc de ſpina, Teneriores vero coliculi ſignificatum habent rei quam ocyſſimè paratæ, vel ipſius Auguſti dicterio, cui frequentiſſimum illud erat dicere, *Citius quam aſparagi coquantur*, cum quid momento minimo properatum innuere volebat. Ita illud apud Dioſcoridem animadvertendum, ἐν ὀλίγῳ ἑψηθῇ, quod in antiquiſſimæ traductionis codice, Latina quidem phraſi, ſed literis Longobardicis ſcripto, quem perlegi Florentiæ, quemq; Marcellus tranſlationis ſuæ ducem habuit, *brevi coctura elixum*, legitur. Philemon Comicus, victitantibus aſparago, perinde ac thymo etiam ac cappari, extenuationem corporum videtur exprobare, ubi ruralis parſimoniæ pœnitentem virum in ſcenam producit, querentem ſcilicet quod rus, ut medici, convenientia ægrotis tantum eſculenta ſubminiſtret. Addit illud: *Sueton. in Auguſto c. 87.*

C

νὴ τὸν Δία
τὰ πετραγενῆ ταυτὶ ὀψάρια, κάππαριν,
θύμον, ἀσπάραγον, αὐτὰ ταῦτα γε δέδοικα
μὴ λίαν ἐπισχνάνωσί με ποιήσῃ νεκρόν.

quorum verſuum hic eſt ſenſus:

D
Atque per Jovem
Innata petris obſoniola, capparim,
Thymumq; & aſparagum, & alia hujuſmodi
Quam vereor, extenuatione prænimia,
Ne me cadaver exanimum humi deſerant.

Quod vero Philemon τὰ πετραγενῆ dicit, vide apud Dioſcoridem quoq; in petroſis naſci aſparagum, nulla facta de ſativo, quo nunc plurimum utimur, mentione. *Non quidem Dioſcorid. ſed Galenus eum qui petræum vocat. l. 6. ſimp. medicam.*

DE CAPPARI. Cap. XXXV.

Sed quod ad Capparim attinet, ad hanc Philemonis ſententiam facit Dioſcoridis locus, qui eam nulli rei dixit eſſe utilem; nempe adeo tenue eſſe nutrimentum ejus, ut nullam afferat utilitatem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN